

253 Resp. II. Si Suspendo, vel Interdictum latum est ad certum duntaxat tempus, aut donec hoc, vel illud fiat, aut praescribitur, elapso tempore, & praescripto adimpleto cessat, ut cum Glossa communiter recepta in *Clement. 1. v. Donec. de Decimis*, bene docet Abbas in *c. 1. de Judiciis. Navarrus Manual. cap. 27. n. 161. Sylvester v. Interdictum. 3. n. 13. Covarruvias in c. Alina mater. p. 1. v. 11. n. 8. & alii.*

254 Quæritur 4. an, quando, & qualem potestatem absolvendi à Censuris, & casibus Papæ reservatis ex Delegatione, Privilegio, vel Jure habeant Episcopi, Regulares, & alii Confessarii? Resp. ad hoc quaesitum jam patere ex *Tit. VII. de Hæreticis § 7. 8. & 9.* ubi occasione Absolutionis ab Hæresi, exigimus etiam de Absolutione à quovis alio casu tam Episcopis, quam Papæ reservato.

255 Et inter alia ex Privilegio concessio per Constitutiones Pauli III. Gregorii VIII. & aliorum, Regulares Mendicantes præsertim Ordinis nostri possunt absolvere ab omnibus peccatis & Censuris, puta, Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto personali, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, solis exceptis casibus in Bulla Censuræ contentis, à quibus tamen suos Subditos Regulares absolvere valent Superiores, prout fufius probat Hyacinthus Donati *Tom. 1. part. 1. tract. 13. quæst. 17. & Tom. 2. tract. 11. quæst. 17. & 18.* ac novissimè noster Felix Potestas in suo *Examine Ecclesiastico Tom. 1. part. 4. cap. 5. n. 3376.*

256 Et quovis Clemens VIII. casibus Bullæ Censuræ etiam alios annoveravit, videlicet I. Extractionem reorum ex Asylo Ecclesiastico contra Constitutionem Gregorii XIII. *Cum aliis*. II. Violationem clausuræ Monialium ad malum finem castitati contrariam. III. Duellum proprium. IV. Percussionem Clericorum, vel Monachi, quæ non levis sed gravis est. Et V. Simoniam realem, & confidentialem; ita ut sicut à casibus Bullæ Censuræ, ita etiam ab his nec Regulares, nec alii vi privilegii, vel alterius Juris absolvere possint Sæculares præter Romanum Pontificem; tamen Stoz in *Tribun. panit. lib. 2. g. 2. n. 60.* & alii observant, potestatem absolvendi ab his casibus prius concessam, non fuisse revocata à Clemente VIII. quoad Regulares extra, sed tantum intra Italiam.

257 Notandum tamen circa hæc Privilegia & potestatem absolvendi *primò*, quòd vi horum non possint absolvere à Censuris ab homine per sententiam specialem latis, per dicta *numer. 252.* neque ab *Interdicto locali*.

258 *Secundò*, quòd, etsi vi dictorum Privilegiorum Mendicantes pro Foro conscientie absolvere possint ab omnibus censuris à Jure, vel per sententiam generalem latis etiam reservatis Summo Pontifici (non item à reservatis Episcopo) tamen hæc absolutio in Foro externo non relevet, quin Censuram existentem notoriè, vel jam deductam ad Forum contentiosum, *Censurati* adhuc debeant se habere pro talibus, ac puniri possint ut transgressores, si in aliquo violant Censuram.

259 *Tertiò*, Regulares vi dictorum Privilegiorum non posse absolvere à casibus Episcopo reservatis sine ejus licentia; neque ab ullo alio peccato aliquem sæcularem sine approbatione Episcopi in aliqua Diocesi, juxta *Omnes*.

Solum hic notandum I. Quòd prævio examine semel approbati simpliciter Regulares ab aliquo Episcopo, ab eodem examinari non amplius possint, ita decernente SS. Congregatione Cardinalium apud Landuscha *v. Confessarius n. 9.* Ubi etiam apud eundem Authorem in suo Supplemento *v. Privilegium*, poteris ad propositum videre Bullam Clementis X. incipientem *Superna &c.* ad editam 1670.

Item similiter notandum II. Quòd Regulares semel approbati ab aliquo Ordinario, quando tales

sunt in itinere. sive in terra, sive in mari, possint in qualibet Diocesi excipere Confessiones Sæcularium quorumcumque, etiam si ab Ordinario talis Diocesis non sint expressè approbati: Et hoc vel ex privilegio, prout late pridem concessit Eugenius IV. Fratibus Minoribus, ac Gregorius XIII. Jesuitis; ubi tamen excipiuntur illa loca, in quibus Episcopus personaliter existit. Atque dictum privilegium adducunt Rodriguez *Tom. 1. q. Regul. quæst. 59. art. 5. in fine.* Compendium nostrorum Privilegiorum *v. Absolutio*, & novissimè quoque editio Romana Patris Landuscha anno 1700. *v. Confessarius num. 12.* illudque adhuc post Urbanum VIII. Alexandrum VII. & Clementem X. subsistere censent plures, etiam post dictos Pontifices scribentes, Jacobus Platellus *part. 5. Theologie cap. 6. §. 8. n. 873.* apud me *fol. 382.* Bernardus Sannig *Tom. 3. Theolog. disp. 11. g. 4. n. 15.* Patritius Sporer *part. 3. Theologie Sacramental. cap. 6. §. 1. n. 678.* Jacobus Wiest *lib. 5. Institut. Canonic. tit. 38. n. 36.* prope finem &c. Bulla autem Clementis X. *Superna &c.* in contrarium allegata commode forsan intelligi possit, de stabilitate in aliqua Diocesi permanentibus, qui utique debent ab Episcopo illius loci approbati; non autem de transeuntibus tantum; nam, cum Privilegium totum alicui Religioni à summo Principe concessum sit favorabile, sicque id, quod contra tale pugnat videtur, tanquam odiosum strictam patitur interpretationem, etsi etiam aliquo modo derogat Juri communi, ut cum Suarezio, Azorio, Bonacina & ipsomet Illung tenet Castropala *part. 1. Tract. 3. disp. 4. punct. 10. n. 5.* prout & ego statui in *1. Decret. Tit. 3. §. 5. n. 138.* Hinc possit præfatio modo Bulla Urbani VIII. & Clementis X. explicari, ut saltem quoad hoc punctum non obesse valenti dicti Privilegii. Vel, quod si etiam dicta Potestas absolvendi Regularibus Mendicantibus &c. aliquam Diocesis in itinere transeuntibus de facto non amplius conveniret ex Privilegio (prout aliqui cum Illung in sua *Theologia de Approbatione Confessarii Tr. 6. disp. 6. g. 6. art. 1. §. 3. nu. 176.* putent; aliter tamen cum la Croix *lib. 6. part. 2. nu. 1513.* apud me *fol. 863.* saltem de valore ejusdem habitant) adhuc tamen prædicta Potestas Regularibus Mendicantibus &c. competet in Germania Superiori (ubi scribo,) ex tacito consensu Episcopi, eo fermè modo, quo Regulares vi ejusdem abque scrupulo, scientibus & tacentibus Reverendissimis Ordinariis, ex suis Conventibus pergunt ad operationes spirituales, ibique excipiunt Confessiones, etsi ab Episcopo illorum locorum, ad quæ pergunt, expressè nunquam fuerint approbati, modo approbati fuerint ab Episcopo illius Conventus, ubi alii degunt. Et ita quoque censet Petr. Marchantius Belgæ in suo *Tribun. Tom. 1. tract. 2. tit. 6. quæst. 4. resolut. 2. ad finem.*

Quartò, vigore sæpè dictorum Privilegiorum non posse Regulares excipere Confessiones Regularium alterius Ordinis habentis statutum (prout ferè quævis Religio habet) ne Religiosi talis Ordinis confiteantur Religiosis alterius Ordinis, ut bene observat Rodriguez *Tom. 1. q. Regul. g. 60. art. 6. & 9. 62. art. 5.* Layman *lib. 5. v. 6. cap. 10. n. 20.* & alii. *org. Extrav. 1. §. Electi. v. Non Religiosos de Privilegio.* Et ratio est; quia Privilegio generali non derogatur particularibus statutis, aut consuetudinibus, nisi exprimat.

Hoc tamen intellige, nisi Religio aliqua etiam circa hoc speciale privilegium, aut statutum aliud habeat: prout teste Rodriguez *loc. cit. g. 62. art. 2.* habent Regulares Ordinis S. Dominici, ut pote qui ex concessione Innocentii VIII. à quovis etiam aliis reservato crimine absolvi possunt per quemvis

Confessionarium, sive sæcularem sive Regularem alterius Ordinis, quando de licentia superiorum sunt in itinere constituti: non item faginiv & Apollatae.

262 Imò Layman *lib. 5. Tract. cap. 10. n. 20.* Rodriguez *Tom. 1. q. Regul. g. 62. art. 5.* & alii docent, omnibus Religiosis, dum in via constituti Confessionarium sui Ordinis habere nequeunt, licetum esse, confiteri alicui vel Regulari, vel sæculari Confessario saltem cum obligatione sciendi se Superiori, vel ab eo delegato quoad casu reservatos.

263 In ordine tenent nostro specialiter observandam est statutum generale *cap. 7. §. 1. n. 4.* Confessarii extra Ordinem presertim in necessitatibus articulo, & tunc de licentia Superiori per Apollatae Commissionem Fratibus expressè prohibetur: ubi per necessitatis articulum non tantum articulus mortis, sed etiam quodvis probabile periculum illius intelligitur, quale esse censetur, irruente hoste, prædone, insone periculosæ navigatione, transitu per loca insidiis & latronibus obnoxia; Sæcularis de Melin in *Statutum. cap. 7. g. 6.* Item necessitas celebrandi Missam, quam quis sine scandalo aut notâ infamie omittit non potest, Melin *loc. cit.* Kerchove in *Statuta generalia. cap. 6. §. 2. n. 13.* Portel *v. Confessarius exiga Religiosis*, rectè dicens, in tali casu Regularem non tantum posse, sed & debere confiteri alicui Confessario extra Ordinem, sive Regulari, sive sæculari, si aliquem ex Ordine suo habere nequit; cum urgeat præceptum Divinum & Ecclesiasticum, & Prælati Regulares videantur esse contenti: siquidem per licentiam Superiori in Statuto requisitam intelligitur generalis & præsumpta. Melin *loc. cit.* Rodriguez *Tom. 1. q. Regul. g. 62. art. 5.* Quin imò in licentia incontinenti implicite continetur licentia confitendi in casibus aliis à Jure permittis, juxta Mirandam *Tom. 1. g. 36. art. 6.*

264 Inferius, quòd Collocantur, & alii itinerantes copiam Confessarii ex Ordine non habentes non tantum possunt, sed etiam debent confiteri Confessario alteri Regulari vel Sæculari, casu quo in peccato mortali conscientiam Missam sine scandalis committere non possunt: ita tamen, ut postea de reservatis deinde de actu coram Confessario Ordinis potestatem habeant.

265 Quòd notandum, vi sæpè dictorum Privilegiorum Regulares etiam ex suis non posse aliquem absolvere à reativis in suo Ordine. Quamvis autem sint casus reservati pro Ordine, constat ex Bulla Clementis VIII. qui, ne Prælati Regulares per indiscretum Zelum nimium reservando casus gravent Subditos, undecim passim in libris contentos specificavit, quos reservare Prælati Regulares possunt additâ clausula, ut si aliquos alios casus pro bono Religionis aut Provincie reservare velint, id quidem facere possunt, sed non nisi in Capitulo generali pro suo Ordine, vel Provinciali pro Provincia, ibi: *Cum materia disensione & consensu Capituli generalis pro toto Ordine, & Capituli Provincialis pro tota Provincia.* Plura de Absolutione à Casibus reservatis vide apud Theologos & etiam Kerchove in *Statuta generalia cap. 7. §. 22.* Melin in *eodem Statuta cap. 7.*

266 Porro circa Casus reservatos etiam notandum, quòd licet alicui cum Diap. 1. 3. 4. *Resolut. 104.* Soto, Corduba, & aliis, satis probabiliter & tunc docent, eum, qui hic & nunc non habet copiam potentis absolvere reservatis, & nihilo minus conformiter dictis superioribus ex causa urgenti confiteri non teneri alteri quocumque reservatum, sed satisfactore, si alia non reservata constituit, cum proposito reservata, quampeccatum fieri potest, confitendi habenti potestatem absolvendi ab illis; cum nemo teneatur idem peccatum bis confiteri, tamen longè tutior, & in praxi merito tenenda sit sententia dicentis, etiam in tali casu esse obligationem, reservata quoque confitendi; quatenus integritati Confessionis satisfiat, & Confessarius inter alia indirectè à reservatis absolvatur, prout videtur etiam apud Layman, Sporer *Theolog. Sacrament. p. 3. c. 6. §. 2. n. 757.*

Uterius notandum, in casu, quo poenitent bona fide accedit Confessione, ignorans se habere peccatum reservatum, vel parus Confessario competere facultatem absolventis & confiteri reservatum, ferè perquam non teneri simpliciter Confessarium, ita Confitentem abque absolutione dimittere, & ad habentem potestatem alegare, sed potestatem tamen, dum aliud præter reservata habet peccatum, ab hoc directè, & ab illis indirectè absolvere, atque ad celebrandam vel communicandam admittit, cum obligatione deinde confitendi reservata habenti potestatem directè absolvendi ab eis. Gobat *Cyp. Clement. Judic. p. 2. Dec. 2. Sporer loc. cit. n. 767.* Ratio est quia videtur adesse aliquis saltem necessitas, videlicet, quia valde durum esset poenitent, ceteroquin ritè disposito, sine absolutione discedere, præsertim si præter reservatum habet etiam alia gravia peccata, simpliciter Confessario bona fide exposita, quæ deinde alii confiteri, valde difficile foret.

Quæritur V. Quotupliciter, & quomodo fieri possit, & debeat absolutio à Censuris? Item quid circa eam dandum

observare debeant absolventes præsertim Regulares? Resp. I. Absolutio à Censuris variè fieri potest, & scilicet: patet inductione. Nam I. fieri potest absolute. II. Ad cautelam prout ad cavendam nullitatem subscripti Apollotici, Electiois, Beneficii dari solet. III. Sub conditione, v. g. *absolve te, si hoc aut illud feceris.* IV. Cum reincidentia, ita videlicet, ut si absolvens intra certum tempus, hoc aut illud non fecerit, vel si cessante periculo mortis, vel alio impedimento se non sistat, & quo aliis de Jure absolvi deberet, in similem Censuram, Excommunicationem v. g. iterum reincident. V. Ad certum duntaxat effectum, v. g. *Censuram testimonium ferre*, vel aliam actum *Censuram* alia prohibita exercere valeat; quo tamen casu Censuram non ab ipsa Excommunicatione, sed ab aliquo ipsius effecta duntaxat liberari censetur. Pirhing *h. t. n. 165.* Layman. *loc. cit.*

Resp. II. Absolutio à Censura non tantum intra, sed etiam extra Confessionem Sacramentalem etiam absenti & invito dari potest; nec requiritur ad eam certa verborum forma, sed sufficit qualibet voluntatem absolvendi fuisse tenentis explicans: solet tamen pro absolutio danda Absolutio ab Excommunicatione observari sequens Formula: *Absolve te à vinculo Excommunicationis quam incurristi propter N. (expri-matur Excommunicationis causa) & restituere S. Sacramentum & communionem fidelium in Nomine Patris &c.* In Absolutione à Suspensione verò: *Absolve te à vinculo Suspensionis; quam incurristi propter N. & restituere executionem Ordinum: Si censura est dubia, servari solent hæc Formula: Si tenueris aliquo vinculo Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti, absolvo te &c. in quantum possum, & ut indiget, in Nomine Patris &c.*

Si absolutio datur publicè & solemniter, præmitti solet aliquis Psalmus poenitentialis, & adhiberi certus ritus, c. *A nobis 28. h. n. &* in Pontificali, vel etiam in Rituali Diocetano præscriptus.

Resp. III. Nullus neque in Foro interno, neque externo absolvi potest ab Excommunicatione vel alia Censura, nisi *Censuratus prius satisfecerit parti læsæ, ob damnum, vel injuriam ratione cujus fuit excommunicatus c. Sola. 2. h. n. &* vel cum ea transactum, vel si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio per rigorosa, vel satisfactorem præstare, vel si nec ista ob inopiam vel aliam causam fieri potest, per Juramentum, Layman *lib. 1. v. 1. n. 5. p. 2. num. 8.* Abbas in *v. Quæ fronte. 25. de Appellat. Sylvester v. Absolutio 3. num. 3. arg. Authenti. Generaliter G. de Episcop. & Clerico.*

Et quævis Layman *loc. cit.* rectè tenet pro Foro interno, 270 spectat qualitate persone sufficere etiam nullam promissionem, vel fideli interpositionem *Censurati*, si censura est occultata tamen etiam *loc. cit. cap. 7. n. 7.* idem rectè monet. Regulares privilegiatos cavere debere, ne etiam pro solo Foro interno absolvantur alicui vi Juris communis, aut sententia generalis notoriè *Censuratum*, v. g. Excommunicatum, vel cujus Excommunicatio jam fuit deducta ad Forum contentiosum priusquam parti læsæ satisfecerit; quia aliam, si talis Reus sitem pro Foro interno absolvi jam existit, ab Ecclesia tam facile adigi non valat ad satisfaciendum parti læsæ, quòd bene observare habent Confessarii Regulares: quamvis & in hujusmodi notoriè Excommunicatis circumstantiis suadere possint, ut ad solam præviam cautionem, vel promissionem absolutio pro Foro interno præderet dari queat.

TITULUS XL.
De Verborum Significatione.
SUMMARIUM

- 1 Ratio Ordinis.
- 2 Inter Regular de intelligenda Verborum significatione sua etiam sequentes. I. Verba intelligenda sunt cum effectu, non aliquid operentur.
- 3 II. Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam.
- 4 III. Sunt intelligenda, ut excludatur delictum.
- 5 IV. Verba clara non admittunt interpretationem.
- 6 V. Verba sunt intelligenda, ut non derogent quæsto Juri tertii.
- 7 VI. Et ut evitetur absurdum.
- 8 VII. Atque contradictio, vel correctio.
- 9 VIII. Verba sequentia accipiunt interpretationem à precedentibus, & e contra.
- 10 De aliis Regular. Remissive.

Constat sæpè dubitari de sensu, & significatione verborum Juris, hinc sicut in Jure Civili, ita & in Canonico integer positus fuit Titulus de Verborum significatione. Quoniam verò de hac multa jam diximus supra Lib. I. Tit. II. de Confess. cap. 4. 15. 16. & 17. de Interpretatione Legum, & Regularum in ea observandis, pauca hic afferemus ponendo aliquos Regulas ad intelligendam Verborum significationem.

2 Regula I. Verba intelligenda sunt cum effectu, ita ut aliquid operentur, & non sint superflua. *l. v. de iur. iur. c. 1. Quod quisque iuris. & l. 3. Quod quisque iuris, iuncto c. Relatum de Cleric. non resident casu. Et autem verba. 17. dist. 1. de iur. nec mininum verbum, quia & ne syllaba superflua in l. quatuor. 11. ff. de Rab. dub. Ceterum autem aliquid operari, quando etiam solus majoris declarationis, cautelae, & omnis dubitationis tollendae, vel efficacioris voluntatis demonstrandae gratia ponuntur, aut exprimentur id, quod tacite iam intellet, vel in genere continetur. Abbas in c. Si adversus. 11. de Hæretic. arg. l. Quasi sum. 12. §. 4. ff. de Fundo instr. & c. c. Si adversus. de Hæretic.*

3 Regula II. Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam, & naturam actus, vel contractus, de quo agitur, & secundum qualitates persone, ad quam sunt relativa. *c. Quam admodum. 25. de iur. iur. c. Constitutum. 6. v. Cum autem de Religiof. dom. l. ubi ita. 27. ff. de Moris cau. Donat. Menochius lib. 3. Præsumpt. 104. num. 29. Tufchus Concl. 95. & 96. Ratio est; quia proferens verba præsumitur, ea accomodare materie, actui, vel contractui, de quo agitur, & perione, ad quam diriguntur. *c. Intelligentia. 8. h. t. l. Non aliter. 69. ff. de Legat. 3.**

4 Regula III. Quando dubius sensus verborum in bonam & malam partem accipi potest, ut accipiendus est, qui excludit delictum, adeo ut potius interpretatio, & significatio verborum impropria admittatur, quam delictum, *c. Elose. 2. de R. S. l. Aderio. 31. ff. Pro socio* Ratio est; quia in dubio nemo deliquit præsumitur, & factum cuiusque in meliorem partem interpretandum est. Dicitur autem in dubio, quia ubi verba de delicto sunt clara, vel certe longè majorem turpitudinis, quam honestatis speciem præ se ferunt, & excusandi causa non apparet, hæc Regula non procedit, sed subintrat generalis sequens.

5 Regula IV. Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam: de qua Regula vide Lib. I. Tit. II. §. 16. num. 384.

6 Regula V. In dubio illa significatio præferenda est, quæ non derogat iuri tertii. *can. Denique. cau. 14. q. 5. c. Super co. 15. de Officio Delegat. l. Nec avur. 4. c. de emanat. pand. Lib. aded ut præterendum præjudicium Juris quæstio tertio verba etiam improprie accipiuntur. Tufchus Concl. 128. num. 1. quæ Regula non tantum in privatorum actibus & dispositionibus, v. g. contractibus, Testamentis, sed etiam in Decretis, ac Beneficis Principum procedit, *c. l. Nec avur. & l. Præter ait. 2. §. 10. & 16. ff. Ne quis in loco pub. Sicut & in quibusvis Privilegiis, & Rescriptis Pontificum, etiam cum clausula ex certiscentia, vel motu proprio sint emanata; cum omnia tacite continent clausulam falvo iure tertii, vel sine præjudicio tertii, quatenus nemini præjudicent, sed Jus cuiuslibet illegitimum & integrum conferrent, *c. Licet. 12. de Officio Ordin. c. Dudum. 21. de Privileg. c. Quævis. 8. de Rescript. cum Concordantiis. Ratio est; quia Jus tertio jam questum etiam publica auctoritate, non nisi necessitate, vel utilitatis publicæ causâ auferri potest; & etiam hæc urgente supremus Princeps, vel Papa auferre non censetur, nisi exprimat. Innocentius in c. Innotuit. 20. de Electio. Pirhing de Confil. num. 20.***

7 Regula VI. Verba interpretanda sunt, ut evitentur omne absurdum, adeo ut ad hoc evitandum etiam improprietas verborum admittatur. Barbofa de Axiomat. Juris. Axiom. 2. v. Absurdum. Tufchus Litt. A. Concl. 66. num. 17. arg. l. Nam absurdum. ff. de Bonis Lib. 2. rorum.

8 Regula VII. Verba sunt interpretanda, ut eorum correctio, & contradictio excludatur, *c. Inter dilectos. 6. v. Caterum de Fide Instrum. c. Cum expediat. 29. de Electio. in 6. cum Concordantiis. Ratio est; quia nemo idem velle, & nolle, vel à sua dispositione illicco recedere, & se in continenti corrigere præsumitur.*

9 Regula VIII. Verba sequentia interpretationem accipiunt à præcedentibus ejusdem dispositionis, & vicissim, *l. Si servus. 50. in fine. ff. de Legat. 3.*

Alias similes Regulas vide c. Lib. I. Tit. II. §. 16. & 17. item Barbofam de Axiomatibus Juris. nec non de Appellationibus Juris, & distinctionibus usæ frequentibus. Item etiam Lexicon Juris.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

- 1 Regula Juris quid?
- 2 Alia est authentica.
- 3 Alia brocardica.
- 4 De Regulis Juris in specie qui scribantur.
- 5 Quid Jonicandum de Regulis Juris.

UTI Digesta Juris Civilis, ita etiam tam quinque Libri, quam textus Decretalium Titulo de Regulis Juris clauduntur. Ubi per Regulam ad propositum intelligitur sententia quedam generalis plurium Legum & Canonum summam paucis complectens: seu quæ jus de variis rebus eandem tamen rationem habentibus, per diversas Leges & Canones constitutum, brevi compendio complectitur, & proponit: sic v. g. diversi Canones & Leges, quarum alie terminas ab Officio Judicis, alie à possidendo, alie à fidejucendo &c. repellunt, unice comprehenduntur Regula: *Pæmine ab omnibus Officiis civilibus & publicis remota sunt; quæ est Regula 2. ff. de R. S.*

Regula hæc alie sunt Authentica, alie merè doctrinales, quæ communiter Brocardica vocari solent. Authentice sunt, quæ auctoritate Apostolica, vel Imperiali, Juri Canonico, vel Civili, & præsertim sub præsentis Rubricæ de Regulis Juris in quinto & sexto Decretalium ad finem, atque ff. ponuntur.

Brocardica sunt, quæ à Juris consultis, vel aliis Doctorebus ex variis Juris textibus, ac dispositionibus, vel etiam Philosopherum dictis de promptæ per modum axiomatum habentur, & applicantur quidem; Jus tamen non faciunt, nec Juris auctoritatem habent, cum in nullo Jure clausæ supponantur.

De memoratis Regulis Juris in specie integros scripsere Tractatus Varii Doctores, inter quos est Augustinus Barbofa in Collect. ad lib. 6. Decretal. Henricus Camillus in Summa Juris, Dymus, Petrus Fechius, & alii, ad quos Lectorem remittimus, si Declaratio dictarum Regularum Libro IV. Decretalium Secunde Editionis per modum Appendicis annexa non satisfaceret. Volumus autem Expositionem dictarum Regularum Juris propterea transferre in Librum quartum, ut is exinde in Tomum aliquo modo aliis proportionatum excresceret.

Interea finaliter circa Regularum Juris illud monere condidimus, quod, etsi ex multis rationibus utile sit Regularum Juris sæpius legere & memoriæ imprimere (cum plurimum serviant ad faciendâ & firmandâ argumenta causæ), atque in dubio potiore faciant causam illius, pro quo stant & allegantur, donec Adversarius jus in contrarium, & legitimum exceptionem aserat, prout advertit Glossa fin. h. t. Tamen multum decipiuntur illi, qui vel putant, se totum Jus ex illis intelligere, vel illis tam pertinaciter adherere, ut nullam contra illas exceptionem audire velint: cum tamen materie, quas hæc Regula summariissime perstringunt, habeant maximam amplitudinem, quævis Regula suas exceptiones: Ita ut etiam de his Regularum Juris authenticis verum sit illud Brocardicum: *Nulla Regula sine exceptione.* Et merito dixerit Juris Consultus in l. 1. ff. de Reg. Jur. *Non ex Regularum Juris, sed ex Jure Regulam esse desumptam:* per quod insinuare vult, Juris fundamenta, & notitiam prius ex aliis titulis esse addiscenda; ac postea per compendiosas Juris Regulas in memoriam revocanda.

Hactenus ergo in quinque Libris tradita, & scripta sufficiant, cedantque ad majorem gloriam Dei, B. V. Mariæ, totiusque Ecclesiæ triumphantis, militantis verò, & omnium Legentium utilitatem. Non interea humillimè prostrati in terram in finem Deo gratias agimus, quod gratias & vires hoc Opus abolendi misericordissimè largitus sit, Eique soli, de omni eo, quod in illo bonum est, omnem laudem & gloriam per omnia tribuimus, atque hanc una cum præcedentibus Libris Judicio & Correctioni sanctæ Ecclesiæ Catholicæ humillimè subijcimus. Amen.



